ANtiquitates has *Laurishamenſes* in libris hodie rarioribus eſſe, forte nemini paullo humaniori ignotum*: cur uero eas *rebus Moguntinis* inſerere mihi uiſum fuerit, haec cauſſa eſt, quod Principatus monaſterii huius, de quo agunt, ſaeculo XIII ab Imperatore *Friderico II* Archiepiſcopatui Moguntino attributus fuerit ac innexus; ſuperiori uero ad eundem, a quo ſaeculi XV anno LXIII dilapſus erat, Domui Septemuirali Palatinae pignori oppoſitus, redierit, atque etiamnum ad eundem pertineat.

* Vid. Conſultiſſimus *Struuius* in praefatione *chronico ueteri Laurishamenſi* praemiſſa, tomo I *Scriptorum* Freheri *de rebus Germanis agentium* p. 84.

II Quod ad *Auctorem*, e ſubſequenti illius *Elogio*, ſi quidem id inſpicere haud grauaberis, propius, quis ille fuerit cognoſces; e *nuncupatoria* illius uero, quo conſilio, quibusue adductus rationibus conquiſiuerit eas, ac publici fecerit uſus.

III Quod ſi porro noſſe cupis, quibus e ſcriptis documentisue eas delibarit ac in unum collegerit, diſces id ex *catalogo*, illis, poſt dedicatoriam, olim inſerto; qui quidem ſic habet:

AVCTORES,

e quibus haec Chronologia compilata fuit.

Aimoinus.
Andreae Presbyteri Ratisbonenſis Chronicon Bauariae.
Anonymus.
Caroli Stengelii Monaſteriologia Ordinis *S. Benedicti.*
Chriſtophori Brouueri Antiquitates Fuldenſes.
Chronicon Laurishamenſe antiquum.
Diplomata antiquorum Imperatorum uaria.
Ditmarus.
Donationes uariae.

Ekkehardus Coenobita *S. Galli.*
Elias Reuſnerus in Stemmatibus Principum.
Franciſci de *Roſieres* Stemmata Ducum Lotharingiae.
Franciſci Guillimanni Catalogus Epiſcoporum Argentinenſium.
Guilielmi Eyſengrein Chronicon Spirenſe.
Huldericus Mutius.
Hieronymus Henninges.
Ioannes Trithemius, Abbas Spanheimenſis.
Ioannes Auentinus.
Lambertus Schafnaburgenſis.
Liber Animarum monaſterii Laurishamenſis.
Michaelis Gaſſen Catalogus Abbatum Laurishamenſium.
Marquardus Freherus.
Matthaei Raderi Sancti Bauariae.
Sebaſtianus Münſterus.

IV Velim autem notes, quod ex his potiſſimum uſus ſit Scriptore anonymo *chronici antiqui Laurishamenſis*, a *Marquardo Frehero* in lucem publicam prolato, & dicto tomo I *Scriptorum* de rebus Germanicis *agentium* n. III inſerto (*a*). Dein *Marquardo*, quem modo laudaui, *Frehero*, tum in *Originibus Palatinis* (*b*); tum in *Commentariolo* de *Lupoduno*, *antiquiſſimo Alemanniae oppido* (*c*). Tandem *Ioanne Trithemio*, in *Chronico Hirſaugienſi* (*d*).

(*a*) Eundem ſane ſectione I & II a capite ad calcem ſequutus eſt; quin ad uerbum plerumque exſcripſit.

(*b*) Ex *harum* utique parte I, eiusque *Appendice* II, *monumenta litterarum antiqua* complectente, excerpſit tabulas *Anſfridi*, ſectione II cap. VIII § IV & V p. 27 & ſeqq. *Ludouici III*, cap. X § I p. 30; *Caroli Craſſi*, cap. XI § II p. 32, *Grimoaldi* itidem & *Berniwae*, § V p. 34, tum etiam *Ruotſwindae*, § VI p. 34; *Conradi I*, cap. XIII § III p. 37 & ſeq. *Othonis I*, cap. XVI § II & III p. 43 & ſeq. *Vgonis*, monaſterii Abbatis, cap. XXV § IV p. 56; *Henrici* Regum *IV*, Imperatorum *III*, cap. XXVII § XX p. 62 & ſeq. *Anshelmi* Abbatis, cap. XXX § V p. 68, § VI p. 69; *Henrici* Regis *IV* Imp. *III*, cap. XXXI § II p. 72 & ſeq. *Diemonis* Abbatis, cap. XXXVII § VII p. 83 & ſeq. *Conuentus Laurishamenſis*, cap. XLII § X p. 94.

(*c*) Ex *hoc* deſumſit tabulas *Sigewini*, ſectione II cap. I § VII p. 9; *Machelini* & coniugis eius *Herlindis*, nec non *Gumberti*, cap. II § IV & V p. 10 & ſeq. *Sicconis*, cap. IV § VII p. 19; *Erckanbaldi*, cap. V § III p. 19; *Ludouici II*, cap. VIII § III p. 27; *Geroldi* & *Idiburgae*, cap. XIV § III p. 39 & ſeq.

(*d*) Ex eo certe, quicquid ſectione III de coenobii huius & Principatus ſtatu ſaeculo XIII conuerſo habet, ſuas in areolas deriuauit: ſigillatim tabulas *Friderici II* § I p. 98; *Henrici* Regis § II p. 99; *Monachorum* ad *Gregorium* Papam *IX* § III p. 100; *Gregorii* ad *Sifridum III* Archiepiſcopum Moguntinenſem § IV p. 100, & § VII p. 101; *Innocentii IV* Pontificis ad eundem § XII p. 102; & denique *Praepoſiti Conuentusque Laurishamenſis*, inſtituti Praemonſtratenſis, § XIV p. 103.

V Quam-

V Quamuis autem in eis congerendis nil praetermisisse laboris uideatur ac diligentiae, negari tamen nequit, quod non minus in Antiquitatibus hisce, quam in aliis, quae luci publicae commisit, ingenii sui monumentis ac scriptis, non semel humani quid passus sit, ac ab recta hic illic deerrarit uia. Quod ne frustra dixisse uidear, iuuabit, quorundam, quae perperam dixit ac commentatus est, indicium hic facere.

1) Quamuis ipse uidit, non unam ueterum scriptorum, de anno, quo basilica Laurishamensis dedicata fuit, esse opinionem, uti sane sectione II cap. II § I p. 10 diserte notat, auctorem uitae *Caroli M.* tradere, id anno DCCLXXIV factum, *Carolo* ex Italia reuerso; sententiis tamen non ea, qua par erat, accuratione expensis, sectione I § IX p. 5 auctorem *chronici ueteris Laureshamensis* sequitur, qui eam anno DCCLXXVII sollemni consecrationis ritu inauguratam fuisse scribit. Quod tamen erroneum est. Vid. *Pagi* Critic. Baron. ad an. DCCLXXIV p. 344 & seq.

2) Dein sectione II cap. II § I, similiter ut auctor *chronici* modo excitati, dicit, praesente *Ludouico*, *Caroli M.* filio, & fundatore *Cancrone* Comite dedicatam fuisse; quorum tamen *id* a uero longissime abit; cum *Ludouicus* tum nondum natus fuerit; quippe anno demum DCCLXXVIII Cassinogili, uilla regia, in lucem editus; ut *Astronomus* in uita eius ad h. a. apud *Ducheſnium* tomo II p. 287 habet: *hoc* uero per se cadit, quum anno DCCLXXVII, quo consecratam uult, *Cancor*, ut uel ipse *chronici ueteris Laurishamensis* scriptor p. 97 innuit, non amplius in uiuis fuerit.

3) Eodem capite § I ait, *Ruotgangum*, Episcopum Metensem, & coenobii huius Laurishamensis primum Abbatem, *Odilonis*, Boicae Ducis, ex *Hiltrude*, *Pipini* sorore, fuisse filium, ac *Thassilonis* fratrem. Perperam omnino. Vt enim *Paulus Diaconus* in fragmento libri *de Episcopis eccleſiae Metensis*, apud *Quercetanum* tomo II p. 204 testatur, *ex pago Hasbanensi*, *patre* Sigrammo, *matre* Landrada (*Pipini* Regis sorore, ut *Sigebertus Gemblacensis* ad an. DCCXXXVIII, & *Albericus*, trium fontium monachus, ad an. DCCXXXIX habent) *Francorum ex genere primae nobilitatis fuit oriundus.*

Quod anno DCCLXVI obierit, *Paulus Diaconus* l. d. explicate testatur. Quod cum auctorem fugerit, huc afferre non inconsultum duxi. Obiit autem, postquam eccleſiam Metensem annis XXIII, mensibus V, diebus V rexisset.

Quam male de cetero cum iis, quae ipse tradit, cohaereant, quae *Roserius*, quem adducit, in *Stemmate Lotharingiae & Barri Ducum* habet, quiuis, uel me non monente, uidet.

4) Capite II § XII p. 40 *Gundelandum* anno DCCLXXIX fatis functum uult: quem tamen, cum auctor *chronici* illius *Laurishamensis antiqui* p. 100 illum annos XIII praefuisse dicat, anno iam DCCLXXVIII obiisse sequitur. Quo etiam anno eundem morte interceptum testatur *Chronicon Moissiacense* apud *Duchesnium* tomo II.

5) Quamuis narrationem *Chronici ueteris Laurishamensis* de furtiuis *Eginharti* & *Immae* amoribus *Caesar* Cardinalis *Baronius* tomo IX ad annum DCCCXXVI iam subleſtae fidei arguerit, ac ex parte confutarit; ipse tamen eandem hac sectione cap. V § V & seq. p. 20 & seqq. repetit, & tanquam ueram, fideique nequaquam ambiguae uenditat: quam tamen, si modo penitius eam inspexisset ac expendisset, ineptam fabulam esse, facili reperisset negotio.

Adhaec illa nixus, cap. II § XI p. 14 ait, *Carolum M.* filiam istam suam *Immam* ex bonis *Cancronis* in pago Rhenensi sitis dotasse, additque, id infra patere; cum tamen capite hoc V § V, ad quod respicere uidetur, id ne uerbo quidem attingatur, tantum abest, ut pateat.

6) Cap. VI § VI p. 25 *Ludouicum* Pium Moguntiae ex hac uita decessisse dicit. Rectius dixisset, infra Moguntiam. Sic enim *annales Bertiniani* ad annum DCCCXL; *Imperator a persequendo filio rediens, correptus morbo in insula Rheni "infra Moguntiam," ad prospectum Ingulenheim palatii, sita, XII Kalend. Iulii defunctus est.*

7) Cap. IX § II p. 29 *Ludouicum* Germanicum, *Pii* filium, qui, secundum *annales* modo laudatos, *anno DCCCLXXVI in Franconofurt palatio V Kalend. Septembris obiit, & IV Kalend. eiusdem mensis in monasterio* S. Nazarii *sepultus fuit*, perperam uocat *Imperatorem*; tum uero non ita bene *Franciae, & Bauariae, "Thuringiae*que *Regem.*

8) Eodem capite § II p. 29 & § IV p. 30 *Ludouicum* etiam, *Ludouici* Germanici filium, *iuniorem* uulgo dictum, *Imperatorem* appellat; & capite X § III p. 32 *Regem Germaniae, "Ducem Franciae atque Bauariae. Imperatorem* perperam prorsus: quandoquidem imperii insignia ille, nomenque Augusti, Pontifice inaugurante, nunquam

nunquam accepit : *Ducem Franciae* atque *Bauariae*, modo similiter plane inconuenienti.

9) Capite XIII § VI p. 38 tradit, *Conradum I* Quedlinburgi in fata concessisse. Quod erroneum. Conf. *Eckardus* obseruatione *de loco sepulturae* eius tomo V *Miscellaneorum Lipsiensium* p. 375 & seq.

10) Capite XIV § VI p. 41 dicit, *Henricum Aucupem* in castello *Himiluna* diem supremum obiisse: *Liutprandum* lib. IV cap. VII p. m. 186, ni fallor, secutus: errantem errans. *Memlebiae* enim uita defunctus est, ut auctor *uitae Mathildis* recte habet cap. II § 9 p. 196, siue, ut *Ditmarus Merseburgensis* lib. I p. m. 328 loci huius nomen exprimit, *Miminleue*.

11) Capite XV § IV p. 42 perperam narrat, *Brunonem Othonis* fratris consensu Angriuariae Ducatum Archiepiscopatui Colonienſi primum adiecisse.

12) Quae capite XVI § V p. 44 *Freherum* de *Taxandria* in *Originibus Palatinis* dicere scribit, non *Freheri* sunt, sed *Huberti Thomae Leodii*, Commentatione *de Palatinorum origine*, quam *Freherus* appendici ad partem I *Originum Palatinarum* n. I inseruit, p. m. 13.

13) Capite XVII § III p. 46 dicit, *Othonem M.* Quedlinburgi in Saxonia uiuis excessisse. quod rursum a uero abit; cum *Memlebiae* ad fluuium Vnstruth, ubi & pater obierat, diem supremum morte confecerit, ut *Witichindus* lib. III exeunte p. m. 662, & *Ditmarus* lib. II p. 340 testantur.

14) Capite XXI § V p. 50 primum non curate citat *Ditmarum;* quippe qui non lib. VII, sed VIII *Wolckmarum* (quem ipse hic *Wockmarum* uocat) Abbatem *Fuldensem* & *Larsensem* (siue *Laurishamensem*, ut index operis explicat) obiisse scribit. Deinde *Ditmaro* affingit, quasi dixerit, *Wolckmarum* anno MLIX uita defunctum esse; cum tamen ille diserte satis id anno MXVIII (cum quo librum VIII orditur) contigisse indicet.

15) Capite XXII § IX p. 53 errat, dum dicit, *Aribonem* Archiepiscopum Moguntinum anno MXXIII Seligenstadii celebrasse synodum. Habuit enim eam anno MXXII, indictione V, II Id. Augusti, anno *Henrici II* regnantis XXI, imperii uero VI, ut ex ipso concilio patet.

16) Eodem capite § X p. 53 *Conradum* Salicum *Sueuum* & *Hermanni* Franconiae Ducis filium uocat. Manifesto errore. Natus enim fuit patre *Henrico*, contracte

Hezel, Duce Francorum; ut praeter alios auctor anonymus *chron. Regum Francorum* apud *Lambecium* lib. II Commentar. *de bibliotheca Caesarea Vindobonensi* cap. V p. 394, nec non auctor *Genealogiae B. Arnulfi* p. 225 testimonio nobis sunt. Atque adeo *Francus* gente fuit, non *Sueuus*. *Otho Frisingensis* lib. VI *Chronici* cap. XXXVIII p. 132 : *Defuncto sine filiis* Henrico, Conradus "*natione Francus, consilio antecessoris sui ----- ab omnibus electus, regnum sortitur.*

17) Capite XXIV § III p. 55 scribit, *Conradum II* (de quo modo) anno MXXXIX pridie Non. Iunii *in uigilia Pentecostes* obiisse. Male. Obiit enim, ut *Wippo*, fide dignus scriptor ac σύγχρονος, in uita eius p. 442 diserte habet, altera Pentecostes die, quum prima magnifice cum filio & coniuge imperatrice ad mensam processisset.

18) Capite XXVI § IV p. 57 minus bene dicit, *Leonem* Papam *IX* ex Habsburgiis fuisse oriundum. Rectius dixisset, ex eadem cum Habsburgiis stirpe prodiisse. Filius enim ille fuit *Hugonis* Comitis Eginsheimensis, patruelis *Radebotonis*, qui potentissimae Domus Habsburgo-Austriacae conditor fuit.

Deinde fallitur, dum uult, *Leonem* hunc an. MLIII Moguntiae egisse synodum: quandoquidem eam ille anno MXLIX celebrauit; ut *Sigebertus Gemblacensis* in Chronogr. p. 597, *Albericus* in Chronico ad h. a. p. 251 produnt, ut *Wibertum*, uitae illius scriptorem, aliosque praeteream. Conf. *Lyserus* § XVIII *Historiae Conciliorum Moguntinorum* p. 21 & seqq.

19) Fallitur, dum cap. XXXIII p. 79 putat, monachos Laurishamenses epistola ista de iniuriis ab Hirsaugiensibus aduenis sibi illatis coram *Henrico V* conquestos esse, postquam patre e uiuis sublato regni ipse gubernacula suscepisset. Factum enim id, cum ex Italia ille augustalibus infulis ornatus in Germaniam reuertisset, quinque iam annis regno potitus. Claro nobis indicio sunt v. 6 & 7;

Plaudentes manibus in laude Dei iubilamus,
Prosper & incolumis quia redditus es modo nobis;

ab expeditione scilicet Romana, ut bene *Goldastus* sua in editione margini adiecit. Vers. item 48 & seq. quibus narrant, Hirsaugienses, sibi tam molestos, *inuestituras* damnare, & censere, tum *Paschalem* Papam, tum *Henricum* Imperatorem propter pactum istud *de Inuestitura* a piorum consortio remouendos esse:

Hi

Hi Domini Papae teſtantur nomen inane,
Sceptrigeroque tui faciunt opprobria iuri,
Ac uos iudiciis uſos profitentur iniquis,
Ambos damnandos, & ab eccleſia remouendos.

20) Capite XXXIV § II p. 80, & cap. XXXVI § I p. 81, auctorem *Chronici Laurishamenſis* ſaepius iam excitati ſecutus, *Godefridum* Comitem Calbenſem uocat *Comitem Palatinum Rheni:* quem tamen *Palatinatus Rhenani* Adminiſtratorem tantummodo fuiſſe, notum.

21) Eiusdem auctoris per ueſtigia incedens, cap. XL p. 89, & cap. XLI § I p. 89 graui ἀναχρονισμῷ ſcribit, *Hildebertum* anno circiter Chriſti MCL Abbatem electum, eoque ſexto menſe poſt mortuo, *Marquardum* ſucceſſorem ab *Henrico* Rege (quem pater *Fridericus* Barbaroſſa, Hieroſolymam tendens, in Regem unxerit) inueſtitum, ſiue in Principatus & Abbatiae Laurishamenſis poſſeſſionem ſub lege beneficiaria immiſſum fuiſſe: niſi dixeris, tum auctorem *Chronici* illius, tum *Helvvichium* ſequacem, *Conradum III*, qui anno MCXLVII in orientem mouit, cum *Friderico* Barbaroſſa, & *Henricum* illius filium, Regem ab eo paullo ante, quam iter ingrederetur, conſtitutum (ne uacuum a rectore imperium relinqueret) cum *Henrico* Barbaroſſae laudati filio, VI huius nominis Rege, confudiſſe.

22) Capite ſequenti XLII § II p. 82 eundem errat errorem, ac coenobitas ex conſilio Regis *Cunradi III* anno circiter MCLIII conueniſſe, de nouo Abbate eligendo acturos: oblitus, *Conradum*, ut *Otho Friſingenſis* lib. I *de geſtis Friderici I* cap LXIII, & lib. VI *Chronici* cap. XXXVI, una cum pluribus aliis, habet, iam anno ſuperiori MCLII, V Kalend. Martii, Bambergae uitam cum morte commutaſſe.

23) Quum *Conradus* Wittelſpachius anno MCLXXIX cathedram Iuuauienſem adhuc inſederit, uti ſane in ſubiectis *Alexandri* Papae Bullis diſerte *Salzburgenſis eccleſiae humilis miniſter*, & *Salzburgenſis Archiepiſcopus* uocatur; tum uero anno demum MCLXXXIII, *Chriſtiano*, eccleſiae Moguntinae Archiepiſcopo, in Italia fatis functo, in ſedem Moguntinam reſtitutus fuerit; capite ſequenti XLIII § II p. 95 haud bene curateque ſcribit, *Sigehardum* anno Domini MCLXXIX per Dominum *Conradum* de *Wittelſpach*, Archiepiſcopum " Moguntinum, & Epiſcopum Sabinenſem, S. R. E. Cardinalem, & fratrem eius *Othonem*, priuilegium, quod ſubiicit, ab *Alexandro* Papa *III* conſecutum eſſe.

VI Sedenim, nec illud infitiandum est, quod longius interdum ab incepto recedat, & plus iusto ad alia aberret. Euolue modo, si lubet, sectione II caput IV, & uide, quam copiose, dum § V p. 16 *Thassilonem* hoc in monasterio sub *Richobodone* mortuum & sepultum refert, § VI p. 16 & seqq. in locum, de illius genere, uita, liberis, fatis, obituque, excurrat; allata etiam Oratorum Boicorum (quam *Auentinus* finxit & lib. III *annalium* suorum cap. X § 30 p. m. 273 inseruit) oratione; prodigiosa itidem uisione, *Carolo M.* aliquot post annis Laurishami oblata; quam *Andreas* Presbyter Ratisbonensis in *Chronico Bauariae* p. m. 13 uulgauit, *Brunnerus* uero parte I *annalium Boicorum* lib. V col. 183 non immerito prodigiis fabularum adnumerat. Quam fuse porro cap. V, dum de tradita monasterio ab *Eginharto* uilla *Michlenstatt* § V p. 20 uerba facit, lepidam illam de clandestinis illius & *Immae* amoribus fabulam, uerbis chronici (erroribus intermistis studiose retentis) persequatur. Quam superfluenti itidem digressione, dum capite XI § II p. 32 de *Caroli Crassi* donatione monasterio facta egit, § III sequenti p. 33 ad illius exauctorationem, uitam in summa egestate & miseria finitam, ac denique sepulturam (res nemini non notas) delabatur.

VII Vt taceam, quod eandem interdum rem, non semel tantummodo iterumque, sed pluries opera superuacua recoquat, iisdemque fere uerbis repetat: id quod lectori non potest non nauseam mouere; quum, uulgari prouerbio, δὶς κεράμβη θάνατος. Certe, montem *Abrinsberg* alias etiam *montem Abrahae* uocari, cap. X § II p. 31 dicit; cap. XXII § IV p. 50, cap. XXXIII § XV p. 79, & cap XXXVII § VII p. 83, nullo operae pretio, repetit. Similiter *Vdalricum* Abbatem *Friderico*, ab Hirsaugiensibus dignitate deiecto, liberalem praebuisse uictum, quod cap. X § II p. 31 memorat, capite XXVII § XXII p. 63 iterum recitat, *Trithemii* uerbis utroque loco allatis. *Reginbaldum* porro monasterium *S. Michaelis* in monte *Abrinsberg* statuisse, quod cap. XXII § IV p. 51 refert, cap XXV § IV p. 56 denuo narrat. Tum uero *Anselmum* quendam, religionis incensum studio, cellam *Neuenburg* condidisse, quod cap. XXX § X p. 71, confutato *Trithemii* errore, recenset, cap. XXXVII § VIII p. 84, cap. XLII § V p. 92, & cap. XLIII § V p. 97 iterat.

VIII Enimuero, missis his, tandem dicendum, quid, dum ipsas has Antiquitates recognoui, curae mihi habue-

habuerim. *(a)* Emaculaui autem eas primum a mendis, quae operarum incuria, negligentiaque irrepserant. *(b)* Dein, ut hoc facilius euolui, curatiusque citari atque enotari queant, in sectiones tam maiores, quam minores dispescui. *(c)* Tum uero non margini solum hic illic adleui, quae mihi in diplomatis allatis uerior uideatur lectio (uid. sectione II cap. XXIX § III p. 85, cap. XLII § VI p. 92) uerum etiam notaui, quae auctori ipsi, dum ei inter scribendum alia calamo excidit, in mente uox fuerit atque animo (uid. eadem sectione cap. XXVII § II p. 58, cap. XXIX § I & II p. 64) Quibus tamen, ne cum iis, quas ipse nonnunquam eidem adscripsit, confundantur, notae loco stellulam semper apposui. *(d)* Adhaec summulas paragraphorum, quibusdam omissis, quibusdam immutatis, passim contraxi: cum alioqui non solum ex interuallo omne propemodum orae spatium (ut in priore editione uidere est) non sine deformitate quadam occupassent; uerum etiam (quod caput est) de loco suo in alienum plane reiectae, legentium commodis parum inseruire potuissent. *(e)* Denique breuem adieci appendicem; qua tabulae nonnullae, quae auctori *Helvvichio* defuere, cum tamen non ab re sint, continentur.

Ecclesiae uero huius insignia, quae eidem Helvvichio in titulo libri statim, aere expressa dare placuit, consultius duxi, hic loci lectorum oculis subiicere.



IX Ceterum praeterire nolim, *librum Animarum*, *Necrologium* graece dictum, ecclesiae huius, auctori tam saepe citatum, haberi in Collectione I *Vindemiae litterariae* doctissimi *Schannati* num. V p. 23---40.

Dein, non inutiliter huc conferri posse *Deductionem iuris Electoralis Palatini in Praeposituram Laurishamensem*, auspiciis *Caroli Ludouici*, Principis Electoris, superiori saeculo editam, & ab Cl. *Tolnero* in epitomen redactam p. 83 & seqq. *Additionum* ad *Historiam Palatinam*.

Sedenim tempus est, ut doctissimi *Helvvichii* memoriam breui elogio ad posteros propagemus.

† † †

GEORGII HELWICHII
BREVE ELOGIVM.

LVcem is adspexit Moguntiae, saeculo XVI senescente; & quum ingenio ad bonas litteras addiscendas apto non minus esset, quam prono, puer in scholis, iuuenis in academia urbis patriae haud exigua in eas diligentia incubuit ac contentione.

II Post annis maturior, uitae genus ecclesiasticum amplexus est, ad id anno MDCV, die XXVIII Augusti primae tonsurae, ut uocatur, ritu inauguratus. Ex quo ad sacratioris studii incitatius descendit rationes, easque animo nec indiligenter nec infeliciter complexus, plana uia ad promeritos processit honores.

III Primum autem anno MDCX, die VII Martii, ad D. Albani, Nicolai Faith, paullo ante demortui, in locum successit, Vicarius factus. Quem ut rite exornare posset, ad sacerdotii postea, qua par erat religione, adspirauit ordinem & gradum: quem etiam sabbato quatuor temporum post festam D. Virgini Luciae lucem, consueta caerimoniarum dignitate obtinuit.

IV Vitae uero, morumque cum esset integritate, omnesque laudis numeros in functione sua impleret, aliis etiam post auctus beneficiis est. Anno namque MDCXV, die XXIX Septembris, Philippo Cunzero, in Vicaria ad D. Martini titulum, quae tum in aedium maxima uacabat, successor datus, & anno MDCXXV, die IX Decembris, in ea, quae Albarum, ut nuncupari solent, Dominarum parthenoni adstructa est, sacrisque earum usibus seruit, altaris honori D. Catharinae Virginis dicati Beneficiatus, ut uocant, siue Possessor constitutus fuit.

V Euita migrauit anno MDCXXXII, peruigilio D. Nicolai (quod in diem V Decembris incidit) funesto maxime patriae urbis statu: ut adeo mirum haud sit, plerisque e Cleri numero tum exsulantibus, annum, diemue, quo obiit, a nemine in litteras missum fuisse. Patet autem id tum e libello supplice, quo Caspar Weber, Nouicastrensis, Parochus Alzeianus, ei se surrogari petiit; tum e subsequuto Archiepiscopi Anshelmi Casimiri prouisionis, ut appellari solet, diplomate, anno sequenti MDCXXXIII,

die XII Ianuarii, Coloniae dato. *In* illo *namque* Weberus: Demnach ----- der Ehrvvürdig Herr *Georg Helvvich* (dem Gott ein frölich auferſtehung verleihen vvolle) mit zeitlichem tod" in uigilia *S. Nicolai* abgegangen *cet.* *In hoc* Anshelmus Caſimirus *Archiepiſcopus & Princeps Elector:* Vacante itaque Vicaria *S. Martini* ----- per obitum *Georgii Helvvich*, in menſe Decembri" proxime elapſi anni defuncti, nouiſſimi eiusdem poſſeſſoris *cet.*

VI *Sepulturae uero locum nactus eſt in aede* albarum, *quas modo dixi*, Dominarum, *die ſequenti, VI ſcilicet Decembris, in eadem, officiis feralibus rite peractis, honorifice tumulo conditus.*

VII *Vir fuit hiſtoriae, patriae praeſertim, amantiſſimus, eiusque e tenebris eruendae atque illuſtrandae ſi quis alius ſtudioſus;* ſedulus rerum Germanicarum ſcrutator, *ut* Struuius *ait, praefatione in* Chronicon *iſtud* Laurishamenſe antiquum *p. 84;* non incelebris rerum Moguntinarum ſcriptor, *ut* Ludevvigius *dicit diſſertatione* de iure Poſtarum clientelari *cap. VI § IV, adnotatione lit. m) ſignata, tomo I* Opuſculorum *col. 943.*

VIII *Teſtantur id, ac Duumuiros hos celeberrimos recte condigneque locutos eſſe, manifeſtum faciunt, quae publico dedit, ingenii ſui monumenta. Sunt ea*

a) De nobilitate eccleſiae Moguntinae liber. *Moguntiae anno MDCXIV. 4.*

b) Prodromus annalium Wormatienſium. *Moguntiae anno MDCXV. 4.*

c) Elenchus nobilitatis eccleſiae Moguntinae. *Moguntiae anno MDCXXIII. 4.*

d) Icones Electorum Moguntinenſium, *aere expreſſi. Francofurti ad Moenum anno MDCXXIV. f.*

e) Narratio hiſtorica de diſſidio Moguntino, quod fuit inter *Dietherum* Iſenburgicum & *Adolfum* Naſſouium. *Francofurti ad Moenum anno MDCXXVI. 8.*

f) Conradi (*uel potius* Chriſtiani II, *Exarchiepiſcopi Moguntini*) Chronicon rerum Moguntinenſium, *cum annotationibus. Francofurti ad Moenum anno MDCXXX 8.*

Corrigendus hic uenit *Georg. Matthias König*, qui in *Bibliotheca ueteri & noua* p. 389 ſcribit: *Condidit Chronicon Moguntiacum anno MDCXXX.*

g) Antiquitates (*quas hic recudi fecimus*) monaſterii Laurishamenſis. *Francofurti ad Moenum anno MDCXXXI. 4.*

Quod ſi alios audias, praeter haec alia adhuc publico iuri conceſſit. Quos tamen catalogis nundinalibus deceptos arbitror. Sunt ea;

a) Eginharti *Commentarius de uita & rebus geſtis* Caroli M. quem cum cum adnotationibus Francofurti anno MDCXXXI ediditſe

edidisse scribunt *Hallervordius* in Spicilegio *ad Vossium* p. 704, & *Neu* in Mantissa ad *Degoreum Whearum* p. 63.

b) *Apographum monumentorum Moguntinensium*; quod illum euulgasse scribit *Boeclerus* cap. XIV *Bibliographiae Criticae* p. 334.

c) *Genealogia familiae equestris Cronbergicae*; quam illum luci publicae commisisse tradit *Struuius* cap. XVII *Bibliothecae Historicae* § XIII p. 466, & cap. XXV § VI p. 639, hoc quidem titulo: *Genealogia des uhralten Adel-Ritterlichen Geschlechts deren* von Cronberg, *von* 1266 *bis* 1625. *Maintz* 1625. *f.*

IX *Praeter ea uero, quae ipse in lucem communem protulit, nonnulla in scriniis reliquit manu exarata; quae alii postea foras dederunt ac euulgarunt. In his sunt*

a) Genealogia Kolbiana siue Wartembergica, *quam editioni tractatus sermone uernaculo scripti, inscriptique,* Väterliche Instruction an seine Kinder, *Biponti primum curatae, subiunxit* Ioannes Casimirus Kolb *de* Wartenberg; *auctius uero anno MDCCX Amstelaedami nescio quis edidit hoc titulo:* Historia & Origines S. R. I. *Comitum* de *Wartenberg**.

* Illustris *Menckenius* in catalogo Scriptorum historicorum, Abbatis *Langlet* du *Fresnoy* Εἰσαγωγῇ subiuncto n. L p. m. 192: *Der autor ist* Georg Helwich. *Es ist aber durch* I. E. H. *hier und da vermehrt worden.*

b) Chronicon monasterii, hodie uero Collegialis ad *D. Albani* extra moenia Moguntina. *Quod ego meliorem in ordinem redactum, & tum adnotationibus illustratum, tum auctum dedi tomo II* rerum Moguntiacarum.

c) Breuis historia coenobii *Albarum Dominarum*, siue Sanctimonialium *D. Mariae Magdalenae* ad poenitentes, in urbe Moguntina: *quam in sermonem latinum a me conuersam, auctamque itidem protuli l. d.*

d) Catalogus Reuerendissimorum Suffraganeorum Moguntinensium: *quem similiter emendatum, illustratum, nouisque accessionibus auctum eidem* Rerum Moguntiacarum *tomo inserui.*

X *Ceterum plura adhuc elaborauit, quae lucem nondum uiderunt; forte nec uisura sunt. E. g.*

a) Antiquitates Moguntinae; *de quibus ipse in adnotationibus ad* Conradi, *uel potius* Christiani II, Chronicon, *sectione II § II n. X p. 113 edit. nouiss.* Sed fusius de ea *(praegrandi scilicet substructione illa, uulgo* Eichelstein *dicta)* in Antiquitatibus Moguntinis, quas, Deo annuente, breui in lucem dabimus.

b) Catalogus plenarius & absolutissimus omnium Praelatorum & Canonicorum ecclesiae Moguntinae maioris. *De quo ipse rursum in dedicatoria* Elenchi nobilitatis ecclesiae Moguntinae *p. 208 edit. nouiss. sic scribit:*

Absolui tandem, Deo auxiliante, quoad licuit ----- post multos labores ac molestias, id, quod ante nouem circiter annos, cum libellum *de Nobilitate ecclesiae Moguntinae* uestris illustrissimis ac gratiosissimis Dominationibus exhibui, promiseram; plenariam scilicet & absolutissimam omnium Praelatorum ac Canonicorum uestrae amplissimae ac nobilissimae ecclesiae, a primo quasi exordio fundationis illius usque in praesens tempus, per annos uidelicet sexcentos, descriptionem & catalogum, in quo praefixis singulorum nobilitatis seu familiae suae insignibus natalitiis, quo anno, mense, ac die, & cuius in locum quilibet ad ecclesiam receptus, quando Capitularium Ordini annumeratus, quando ad certas Praelaturas ac dignitates uocatus, quibus praeterea aliis in locis beneficiatus, quando denique uel per resignationem uel per mortem de ecclesia auocatus, ac ubi terrarum reconditus fuerit, cum certa & accurata epitaphiorum ac monumentorum singulorum descriptione, piarumque ordinationum, fundationum, ac extremae uoluntatis dispositione, eorundem enumeratione, fuse satis ac luculenter demonstratur, adiuncta simul parentum, fratrum, ac sororum, plurimarumque rerum notatu dignissimarum, a diuersis ac circa diuersos gestarum, recensione, nec non plurimorum, de quibus possibile erat, genealogicis tabulis, in modum probationis familiae, a sedecim aut plurium atauorum nominibus, aut certe octo uel quatuor ad minimum usque, ex diuersis nobilium familiarum genealogiis uere & accurate enucleatis ac dispositis ------ Ceterum, cum opus ipsum, de quo hic sermo est, rudi adhuc, ut dici solet, Minerua sit conscriptum, ad limam ut reuocetur, necesse erit; in cuius reuisione simul ac descriptione cum non exiguum temporis spatium terendum sit, tardius idcirco in publicum prodire, ac communi usui exhiberi continget.

Latet in thesauris illustrissimae familiae Greiffenclauiorum *de* Volrats, *usumque insignem praebuit* Humbrachto, *sicut ipse fatetur ac praedicat in praefatione operis sui genealogici, quod anno MDCCVII Francofurti ad Moenum, forma maioris ordinis, edidit, inscripsitque*: Die höchste Zierde Teutschlands, und Vortrefflichkeit des Teutschen Adels *cet.*

XI *Haec strictim. Quae aequus lector boni consulat.* Ταῦτα γὰρ, *ut cum* Platone *loquar*, τὰ ἡμέτερά ἐστιν, οὐχ οἷα βούλεταί τις, ἀλλ οἷα δύναται.

Reueren-